

Act. 15.

137
23

13

DUBIAE QUAESTIONES
DE FORO MILITARI
IN SAXONIA
ILL. ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
P R A E S I D E
IOH. THEOPHILO SEGERO

IVRIS SCIENTIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE TIT. DE V. S. ET R. I
ANTECESSORE ORDINARIO COLLEGII I. CTORVM SODALI

A. D. XII. OCT. AN. C I C I C C L X V I I I

H. L. Q. C

D I S P V T A B I T

A V C T O R

IOHANNES GODOFREDVS MULLERVS

RADMERICENSIS E LVSATIA

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA

13.

DURKE QUARTERLY
DE FEDO MILITARI
IN SAXONIA
1740
JAN THEOPHILUS SEGERO
METHODE
TATRATICA
AEGEAE IN PRAECA
LITERATURA
GODFREDUS MATHIAS
1741
DUDICIONES LITERARIAE

ILLVSTRISSIMIS
ATQVE EXCELLENTISSIMIS DOMINIS
DOMINIS
IOH. GOTTHELF A GLOBIG
SERENISSIMI DVCIS SAXONVM ELECTORIS
COMITI CONSISTORIANO PROTO-
SYNEDRII PRAESIDI REL
E T
IACOBO FRIDEMANO
WERTHERO
S. R. I. COMITI IANITORI
HEREDITARIO
POTENTISSIMI SAXONVM DVCIS ELECTORIS
S. CVBICVLO PRAEFECTO CLAVIGERO
R E L
DOMINIS INDVLGENTISSIMIS
PATRONIS OPTIMIS
SACRVM

Universitätsbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-173405-p0006-2

DOMINI
JOH GOTTHILF A GÖRG
SERINISMI DAC SAXONIA HISTORI
COMITI CONSISTORIANO MOTO
SACERDOTTALIS RIB
ET
IVCOBO FREDERICO
WRTHERO
SERI COMITI LANITOLI
HERBIDATRIO
POLYCHRONIUS SAXONIUS ACER FESTIVITAS
E CARDUO LIBELLUS CAVICERO
RAT
DOMINI INDAGENISSIMIS
PATRONIS OPTIMIS
SACRA

*ILLVSTRISSIMI
ATQVE
EXCELLENTISSIMI DOMINI
DOMINI INDVLGENTISSIMI*

*Q*uod splendidissimis *NOMINIBVS*
VESTRIS inscribere audeo
basce paginas, et si huius libelli tenuitatem
tantorum virorum personis parum ipse dignam

existimo, illius tamen consili*i* habeo causas
graues, nec facile seuerissimis talium rerum
iudicibus improbandas. Nam praeter quam quod
TIBI, EXCELLENTISSIME GLOBI
GI, ingeniorum in his terris quasi censura
magno cum litterarum, quarum **IPSE** orna-
mentum es, incremento commissa es; **TV** vero
ILLVSTRISSIME COMES WER-
THERE, aequissimus liberalium studiorum
aestimator palam laudaris, vt diligentiae meae
ratio his aliis que de causis **VOBIS** reddi
et posse et debere videatur: etiam **VESTRAM**
vtriusque erga me indulgentiam tam sin-
gularem tamque praeclaram expertus sum,
quae,

quae omnem spem meam atque expectationem
superauerit, me que ad ipsam publice celebrandam
vehementer excitet. Per illam igitur et *VOBIS*,
DOMINI, quorum maxime iudicium ero,
spero non omnino displiciturum hunc paruum
laborem, et alios grati deuotique animi moni-
mentum in iuene academicum curriculum vix-
emenso Patronis que, si posset, meliora dатuro
baud reprehensuros esse. Ego vero, quem pa-
trocinio atque indulgentia *VESTRA* miri-
fice in his studiis confirmasti, et cui futurae
suae vitae tranquillitatem non vanis sponsio-
nibus pollicetur tam potentium *Virorum mu-*
nificentia, ut et mibi, et litteris, et reipubli-

cae

cae vniuersae diutissime sospites ac salui ser-
uemini, et vt vtraque splendidissima gens per-
petuo floreat, Deum optimum maximum pre-
cor obtestorque

**ILLVSTRISSIMORVM
VESTRORVM NOMINVM**

cultor & liensque deuotus

IOH. GODOFREDVS MVLLERVS



C Maiestatem, penes quemcumque sit in republica, esse fontem atque originem omnis iurisdictionis, natura et ratio ciuilium rerum ostendit. Igitur is, cui imperium derulit populus, supremus omnium magistratus et index est, qui cum ipse omnes ciuium cauissas solus cognoscere easdem que decidere nequeat, alias sub se iudices et fora diuersorum locorum constituit, quorum cuique pars populi ita subiicitur, ut quem loco praefectum videt, illi non ciuale tantum obsequium praestet eius que potestatem reuerentur^{a)}, sed et vnicce in huius et supremi iudicis aut legati eius se sifstat iudicio, horum vnicce imperio pareat, neque ab alio magistratu vocatus in ius eat, nisi venia ab ordinario impetrata.

II.

a) vid. CHIADENII Diff. de reuerentia fori.

A

II.

At ista iudicium inferiorum ordinatio uti publicis conventionibus interdum non continetur, sed tota ab imperantium arbitrio penderit, sic ciuibus prorogatio iurisdictionis passim concessa est, in primis vbi legum Romanarum usus intuluit: passim etiam alii ex cauiss, quam e domicili loco, singulare in ciuitatibus forum nanciscimur. Nam et praediorum fere, siue ea vindicentur, siue in iis iuris aliquid ab altero afferatur, maior, quam possessorum conditionis, in audeundo iudice ratio habetur, et rerum ac personarum quarundam tanta dignatio fuit atque is fauor, ut ab ordinario foro eximerentur, singularem et proprium iudicem ex priuilegio consecuti. Exemplo sunt, ut caetera taceam, milites et constituta per omnem fere Europam tribunalia militaria.

III.

De origine huius militaris fori anceps dubitatio est, facile tamen sic finienda, ut formam iudiciorum militarium hodiernam inde a duobus seculis adornatam atque excultam Maximilianum I.^{b)} et Carolum V. Augg. in primis auctores habuisse, deinde a Maximiliano II et legibus singulorum principum militaribus magis magis que emendatam esse, multa tamen ex pristino veterum Germanorum usu retenta, et quae apud eos in bello obtinuit, eam quidem in perpetuam pacis belli que tempore iurisdictionem nouis militiae ordinati-

b) ex vero scribit de Maximiliano I. FV GGERVS in libro *Spiegel der Ehren des Erzhauses Oestreich* p. 1372: *Er ließ auch ein Kriegsrecht verfassen, und durch öffentlichen Druck ausgeben, wonach man sich im Felde richten und Urtheil sprechen sollte: dergleichen toebliche Anstalt vor diesem Kaiser in Deutschland nie gehoveret, und ist folbermassen der Krieg in einen ordentlichen Staat eingerichtet worden.*



3

tionibus versam dicamus ^c). Cum enim, teste Tacito ^d),
maiores nostri ita dediti essent militaribus studiis, vt alia non
daretur rei publicae capessendae ratio, atque vna esset militia
omnium honorum ingressus, nec quis ciuilia iura ante, quam
armatus incederet, reapse consecutus esse videretur, effecit ista
ciuilis vitae atque militaris disciplinae coniunctio, vt omnes
Germaniae milites tum temporis coram tribunalciuium
conuenirentur. Nam quod ille testatur ^e), sacerdotes de
delictis militaribus cognouisse et statuisse, tum illi in ea re
non magistratum loco fuere, sed iudicium, quibus dux
praefuit, tum in pace etiam in comitiis grauissimarum rerum
iudicia maximeque criminum exercuerunt. Sin ducem antiq[ue]issimis temporibus, nisi in bello, non extitisse afferas,
equidem alios militiae, alios domi magistratus iuris dicendi
potestatem, certe comites eam in bello sub ducibus, in pace
sub populo tantum habuisse facile largior, verum extraordinaria
nationum imperia neutiquam duplex forum militarium
atque ciuilium cauillarum, nendum personarum consti
tuerunt. Igitur Henrici etiam Aucupis ordinatio, qua pars
ciuium opidis defendendis destinata est, et si progressu tempore
ris eam habuit vim, vt allii negotiationi magis, quam mili
tiae

A 2

c) cf. M A S C O V. Hist. Germ. Tom. I. et L A V R E N T I I praef.
libr. teutonice scripti de iudiciis militaribus vet. Germ. Eiusdem
que liber de iudiciis militar. hodiernis P. I. S. I. §. 11. et 12.

d) T A C. de M. G. c. 13. arma sumere non ante cuiquam mor
ris, quam ciuitas suffecitrum probauerit. Tum in ipso con
cilio vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus scuto
framea que iuuenit ornant. haec apud illos toga, hic pri
mus iumentae honos: ante hoc domus pars videntur, mox
rei publicae. add. C A E S A R de B. G. lib. VI. c. 20.

e) T A C. de M. G. c. 7.



tiae vacarent, ignobilior etiam multitudo artes sellularias facerent, neque in praefidiis militarent, nisi ad extrema pericula auertenda, fori tamen diuersitatem non attulit, sed vtrunque genus opidanorum iisdem in quaue vrbe magistratibus, quamquam impari lege, subiecit. Efflorescente tandem clientelari disciplina, crebra beneficiorum largitio, quae arctioribus vinculis Germanos ad militiae legem adstrinxit, tantum tamen abest, vt milites a foro ciuili exemerit, vt potius de fide tantum clientelari de que beneficiaria cauſa in curiis dominorum, de caeteris apud ordinarios populi iudices ab omnibus litigaretur. At vsu perpetui militis in Germania introducto, quem duobus seculis vix antiquorem esse diximus; cum eius quidem a militum conductione inde ab Sigismundi et Friderici III. Augg. aetate magis magis que frequentari copta, et in primis a Maximiliani I saluberrimis institutis exercitus in pace quoque non dimitendi ductum initium, nec tamen retinendi illius necessitas, nisi demum Carolo V. imperante, penitus intellecta sit; igitur ab hoc tantum tempore sensim ac pedetentim ordinata est hodierna iudiciorum militarium forma, initio quidem magis ad Romanae disciplinae exemplum, qua ratione militarium delictorum cognitio iudicibus militaribus propria esse coepit, non item caeterarum causarum, deinde etiam nouo et plane Germanico more, vt milites cum cuiusque familia totaque hominum manu, qui in exercitu bene instructo necessarii sunt, a foro, quod per eam constitutionem ciuile vocant, instar Clericorum eximerentur, et coram solis iudicibus militaribus, nisi praediorum atque ecclesiasticis aliis que paucis de cauſis conveniri possent. Qui mos, vt et a caeterarum Europae gentium Regibus et a Principibus Germaniae publice reciperetur, facile tum fauor eorum, qui pro salute patriae corpus vulneribus, vitam morti exponunt, cum disciplinae militaris severius custodienda neceſ-

necessitas in tam praesenti eius utilitate tantum non vbius effecit.

§. IV.

Nec tamen eadem huius fori siue hominum siue caufarum ratione apud omnes gentes descriptio atque ampliudo. Etenim in Austriacis ^{f)} atque aliis passim ditionibus interdum iudex paganus, interdum aulae in cauiss belli consilium de militum delictis cognoscit, qui, prima notione a priuatorum magistratibus habita, ob eadem facinora apud nos essent ad Praefectos militibus remittendi. Et vt rerum mortalium fert conditio, tantum abest, vt initio statim omnia de personis et rebus foro militar i in posterum subsuturis dubia nouis usquam ordinationibus remota sint, vt potius larga earum seges hic illic non sine publico incommodo superauerit. Multae hinc inter militares et ciuiles iudices controuersiae ortae, utrisque easdem cauissas eosdem que saepius homines contendentibus iudicio suo subesse, vt frequens principali cauissae praeiudicium fieret, et antequam de re ipsa litigaretur, de foro et iudice competente iudicium esset agendum. Quas tandem longas et graues in Saxonia controuersias D. Augustus II prudentissime maximam partem composuit, approbata quidem conuentione, quam an. seculi XVIII. exercitus Saxonici dux cum confistorianis comitibus spe regiae confirmationis imierat, et qua utriusque fori iura de novo firmata ac stabilita, neque personae tantum et cauissae foro ciuilli eximendae curatius definitae sunt, sed et nimia militaris iurisdictionis ampliatio represia limitibus que iustis circumscripta est.

A 3

§. V.

f) vid. legem V. Nouembr. an. huius seculi XXXXIII. promulgatam in laudato libro LAVRENTII de Iudiciis militaribus bodiernis P. II. Sect. II. §. 48.

§. V.

Sed ut vnaquaeque dies nouas formas edere properat, sic nouae etiam post eam legem vtriusque iudicium ordinis contentiones exortae sunt, partim ordinatione militari, quae anno seculi LIII publicata est, aliis que nouis constitutionibus sopitae, partim hodienum agi solitae, et vix, nisi Serenissimi Principis auctoritate ob argumentorum vtrinque allatorum, vel grauitatem vel speciem componendae. Non meum est enarrare omnes. Quis enim a iuuene nondum in publicis causis versato vel scientiam omnium commemorationemque expeget? Sed quae de iis militibus agitantur, quibus duplcem fors personam et togatorum et sagatorum imposuit, de que munerum quorundam conditione, quae pro diuersis hominum studiis modo militaribus videantur, modo ciuilibus accensenda, denique de indeole nonnullarum causarum, quae vel inter vtrumque forum sic fluctuant, vt dubites, in quo eas magis tractari iuri conueniat, vel singulari ratione militaribus iudiciis eximendae videantur, summorum vtrique foro praefectorum contiouerias, quae mihi patrui iuris studioso in talium rerum cura per varias occasiones innotuerunt, breuiuscula disputatione complecti et partium argumenta pro virium mearum modo commemorare constitui.

§. VI.

Igitur ut de iis dicendi initium faciam, quos et toga claros et militari cingulo ornatos conspicit patria, hi fere sunt duces in exercitu vel tribuni aliae superioris ordinis milites, (nam ea res ab iudicio principis pendet;) vel, etiam si proprie milites non sunt, viri mutineris in exercitu caussa foro militari subiecti, quibus dignitas consiliariorum in sacro rerum bellicarum consistorio obtigit, aut qui in palatio Principis praeter istos sagatae militiae labores splendido aliquo ministerio,

❀ ❀ ❀

sterio, velut Clauigerorum eorum ue, qui his adiungi solent,
(*Cammerherren iud Cammerjunker*) officio defunguntur.
Caeteros enim, si qui sint, in quibus eadem cernatur munera
dignitatum que ordinis vtriusque coniunctio, praetermittimus, cum ad rem nostram non opus sit longa eorum
commemoratione, quorum de duplici foro facile erit ex
istorum similitudine iudicium ferre. Quorum omnium quidem
causa prima belli et pacis tempora discerni oportet,
deinde in pace etiam causas officiorum. Nam cum tota
fori militaris ratio habenda fructuose militum bellorum
que disciplina contineatur, et exercitus in hostico constitutus
integri fere populi imaginem referat, cuius vincula ad salutem
publicam interest iure severissime dicando et poenis, qua
rum atrocitate caeteri quoque a delinquendo deterreantur, pa
lam expediendis arctissime constringi: nostris etiam Princi
pibus placuit, quod quasi in commune gentium Europaeam
ius abiisse docet Laurentius, ^{g)} quem bello gerendo
praeficerent, illi in hostico omnes tanquam supremo sub
ipsis iudici omnino subiicere, qui vel constituunt partem exercitus,
vel quibus eum sectari licet, quos que militari imperio
regere, quorum habere disciplinam, ipsi lege concessum est.
Quapropter si a Principe delegetur vel etiam a
sacro rerum bellicarum consistorio, qui non pareat duci,
sed consilia cum eo communicet, quod multis et grauibus
de causis interdum fieri nouimus, non dubium est, quin is
talis legatus foro militari perinde exemptus sit, atque imperio
ducis ob legem legationis non subest: caeteri autem omnes,
ne ius quidem, qui quasi quaesturam militarem in vniuersum
gerunt,

g) De iudiciis militaribus hodiernis P. I. Sect. I. §. II. et P. III.
Sect. I. II. III. IV. V. VI. et VII.



gerunt, atque his per diuersos ordinum gradus ministrant, (*General - Kriegs - Commissariat und Proviant - Amt*) quin vix sacerdotibus quidem exceptis (nam et quod horum causa constitui solet tribunal, et si proprium, quodam modo militare est) in foro militum coguntur se sistere. Res eo etiam necessaria visa, quod interdum opus sit aut expediat, querelis exterorum aut hostium, in quorum ditionibus aut bellum geratur, aut exercitus hibernetur, subito remedium ferri. Sed totum istud sustinentarum copiarum annonae que militaris currandae officium nihilominus a sacro caussarum belli consistorio ordinatur, cuius etiam domi auctoritate vnice regitur. Itaque cum et illi, qui eo funguntur, belli tempore imperio ducis et militari iudicio subsint, magis est, vt et milites ipsi, quantumuis aulica vel consiliariorum etiam dignitate simul conspicui, quoties in expeditione aduersus hostes versentur, nisi procuratorem reliquerint, actione in personam directa in civilibus iudiciis interea temporis conneniri vix possint, certe ea de caussa nequeant domum reuocari, vt pote si se non stiterint, quantumuis ipsorum contumacia accusata sit, paratissimo restitutionis auxilio fruituri.

§. VII.

Hoc ius in bello obtinet, atque idem in pace obseruari debere, sunt, qui haud vanis rationibus autument. Primum enim, si exercitus tempore pacis refineatur, id quidem duplice de caussa aiunt potissimum evenire, vt et publica securitas praesenti munimento et paratis defensoribus nunquam destituta appareat, et, quo hostium iniquitas vocet, instructus armis atque exercitatus miles seueriori que disciplinae, qua maxima pars victoriae continetur, perpetuis laboribus

boribus assuefactus sine intercedine et mora florentissimis
 saepe rebus publicis exitiosa mitti possit. Esse igitur omni
 opera caendum, prohibendum etiam legibus atque insti-
 tutis, ne rei militaris disciplina, cuius custodienda necessi-
 tas sumtuosam perpetui militis curam efflagitet, per otium
 atque inobedientiam collabatur. Quod si eam ob caussam
 iurisdicundi potestas ducibus et tribunis concessa sit, nullo
 inde negotio perspici, in decidendis viriusque fori contro-
 versiis, in quam maxime partem e benigna legum sententia
 debeat procluus esse interpres. Nam cum et victorianam in-
 obedientia partam capitale crimen vel Romani veteres iudi-
 cauerint,) et ipsum totius exercitus summum ducem inclu-
 tum heroa Eugenium non pristini iuris mutatio, sed sola
 Leopoldi Augusti clementia atque admiratio tantae virtutis
 periculo iudicij liberauerit, non videri mentem Principis et
 nouae ordinationis sensum, quibus hodierna militarium iu-
 diciorum facies sit inducta, omnino exprimere eam in-
 terpretationem, quae milites ab alterni munericis rationes ob-
 sequium duci tribunoue adstrictum detrectare doceat, siue
 plenam a militari foro immunitatem, siue optionem certe
 alterius tribunalis concederit. Deinde liberalitatem Princi-
 pis laudant, qui militibus singulare forum pro beneficio in-
 dulsisset. Itaque noui beneficij, quo munus in aula vel in
 consilio suo iis indulget, non posse esse hunc sensum arque
 hanc facultatem, vt alterius priuilegii usum ipsis eripiat.
 Etenim beneficia principum plenissime debere intelligi, ad-
 eoque militaris fori priuilegio neminem exuendum esse,
 quem Princeps etiam prae ceteris vel consiliarii dignitate,
 vel aurea sacri cubiculi clave, alioue in aula officio honora-

verit.

i) Q. Fabii exemplum laudat LIVIVS lib. VIII. cap. 1.

B



terit. Quodsi ipse velit, qui eo nomine munereque ornatus sit, miles priuilegio isto non vti, videndum, an permitti hoc possit, cum omnibus in vniuersum militibus, non minus ac sacerdotibus aliisque ordinis ecclesiastici viris, iurisdictionis in ciuilem iudicem prorogandae potestas lege publica denegetur, nec dux exercitus aut cohortis tribunus, nisi speciali Principis iussu, potuerit suo iure hominis ad suum tribunal vocandi excidere. Accedere tandem alias rationes, quae contrariam Serenissimi Electoris voluntatem manifestent. Nam lege adeo expresse caueri, ne qui in ordine sacri cubiculi vel praefectorum vel comitum mereant, ab his, qui huic ministerio praesunt, ad eius functionem inconsulto aut inuitu exercitus duce vocari possint. Ne quid de edicto ducis dicam, quo eum omnibus imperio suo subiectis militibus, nisi venia primum a se impetrata, non ambitum modo munerum aulicorum, sed ipsorum etiam oblatorum a Principe aditionem nouimus interdixisse: permittente tantum Serenissimo Electore, an etiam iubente, haud constat. E quibus omnibus aiunt palam fieri, quanta sit in Principe cura militaris disciplinae, quantus fauor eius imperii, quod sciuncta itris dicundi potestate infirmum atque imperfectum esset futurum. Quid enim? si tribunus militum aut etiam dux militi, nescio quid, impereret, quod bellicae disciplinae conueniat, eundemque ex permutatae pecuniae cautione eodem tempore curia custodibus detinendum tradat? Non videri hanc iurisdictionem militaris rei salutis et mandatorum exequendorum celeritati posse vlo modo accommodari.

VIII.

Haec eti magnam et speciosam habent ab utilitate publica commendationem, validiora tamen contrariae partis argumenta videntur. Nam et totum hoc iudicium militare, in quo omnes militum caussae non militares tantum, sed etiam

iam communes, discutiuntur, ut initio diximus vulgoque
 constat, omnino nouum est, et quae nunc inter priuilegia
 militum commemoratur, eam illi a foro communi immunitatem
 proximis abhinc seculis sensim ac pedetentim sunt
 consecuti. Nouae autem cuiusque legis interpretatio his
 cancellis contineri deberet, ne quid de veteri iure imminutum
 statuamus, quod nec legis verba nec manifestissima ratio
 mutatum esse ostendant. Sed expresse quidem neque apud
 nos, neque vsquam, quod sciam, constitutum est, vt, quibus
 duplcam quasi personam et togatorum et sagitorum
 Princeps imposuit, eorum tamen vocationem prehensionem
 que solus habeat iudex militaris. Idem vero mori publico
 in similibus exemplis recepto non conuenit. Etenim ex di-
 ueris caussis diuersum quenque videmus etiam ad iudicem
 ire. Qui et Brandenburgiae et Saxonicae legi subiectus est,
 non potest is omnino alterutrius Principis iudicium recusare. Be-
 neficiarii Serenissimi Electoris propterea, quod cum clientelari
 fide ciuale etiam obsequium legibus atque institutis nostris
 coniunctum est, tametsi praediorum possessionem nondum
 adepti et sub alterius Principis imperio commorantes nihil
 minus aliis etiam, quam de beneficiariis caussis, in iudicio
 Saxonico recte conueniuntur. Tidem vero domicili iudicem
 non minori cura reuereri debent. Neque hoc iure tantum
 aduersus exterios vtimur, sed maxime etiam in iis, qui et
 apud nos lares posuerunt, et nullo alieno vinculo externis
 legibus obnoxii sunt, eadem ad diuersos iudices eundi neces-
 sitas cotidie obseruatur. Non iam de eo foro, quod e do-
 minio possessione ve praediorum quisque nanciscitur, in quo
 contra quemque in eas res agi potest, faciam verba, cum
 et ipsi milites ab eo se nusquam exemptos profiteantur. Quam
 ob rem clientelares etiam curias atque id iudicium, in quo
 quis tutelae alius muneris publici rationes reddere deberet,

◆ ◆ ◆

silens praetereo. Nam aulici quoque alterius ve officii vel comitatus caussa milites in ius militare vocatos non compri. Verum, si quis duplex in prouincia domicilium ponat, nonne auctoris electio est, vbi contra eum agere velit? Praeterea in iis regionibus, in quibus vniuersitates scholasticae a curiarum prouincialium potestate exemptae sunt; eius autem priuilegii vhus vbiuis, quod sciam, extra Saxonicas ditiones perdurat; si quis accademiae ciuis vel ob praedii vel ob personae dignitatem curiis istis, nullo iudice intermedio, subsit, eundem et a rectore, et a curia posse in ius vocari non ambiguum est. Quemadmodum apud nos non dubitatur, qui dignitatem veri consiliarii a Potentissimo Principe nostro consecutus sit, eum, et si antecessoris munere defungentem, a superiori tantum magistratu, non etiam ab scholae Rectore, nisi academicii officii ratio exigatur, vt in iure se sistat, compelli posse.

IX.

Sed non opus est plurium exemplorum recensu. Constat enim inter omnes, in tanta iudicium, munerum, dignitatum, ob quas quisque forum generale nancisci posit, diuersitate vnu obtinere has regulas:

- I. Ministerii, muneris, officii rationes quemlibet cogi reddere in foro eius rei proprio¹⁾:
- II. Binis dignitatibus nobilitatis non disparis honoratum, quarum vnicuique diuersum forum generale neque alterum altero superius leges publicae assignauerint, non secus atque eum, qui duplex domicilium habeat, posse coram vtroque iudice conueniri, nec alterius fori praescriptioni, nisi ex caussa litis in eo iam coptae, locum dari.

III. Sed

1) cf. LEYSER Med. ad Pand. Spec. LXIII. §. 7. et 8.

III) Sed ut maior honos minorum dignitatum titulos
quasi obducit, sic illius etiam ratione viris honoratis
licere eius quidem magistratus, cuius caeteroquin ha-
rum caussa iurisdictionem vereri deberent, modeste
deprecari officium, nisi forte nobilis forum e minore,
quam ex altera splendidiore dignitate, obueniat.

Sic breuiter rem, quae est, hodiernos que mores enarrauisse
videmur, neque a nobis impetrabitur, vt definitionum earum
veritatem e legibus Romanis ostendere laboremus. Tota
enim hodierna iurisdictionis ratio Germanica est, atque eius
pleraque differentiae, velut ipsa in ciuilem et militarem,
qui sensus illius nunc est, diuisio, vt Vlrici Huberi verbis me
tuear, sunt seculi potius quam iuris Romani, nec tamen ideo
contemnenda obseruationis^{m)}. Haec vniuersae Germaniae
disciplina praeuentonis et iurisdictionis concurrentis voca-
bula peperit: ab eadem frequentissimae fori praescriptiones
litesque iudicum de suae potestatis terminis prope nodum
innumeræ proficisciuntur. Neque ego diffiteor, singulis,
quas scripsimus, regulis publico vsu plurimas subiungi exce-
ptiones, quibus illae tamen ita non vitiantur, vt plane offi-
cium suum perdant. Etenim vbi lex et mos aut singula-
ria diuersorum iudicum paecta neque legibus, neque publicae
saluti aduersa non obsunt, easdem, nisi me omnia fallunt,
tanquam catholicas sequimur, et vt fomes perniciosarum li-
tiuum restinguatur, in hoc rerum nostrarum statu sequi etiam
debemus. Quid? quod non improbabili arguento in
omnibus virorum toga sagro que clarorum personis nulla di-
gnitatum disparitatis ratione habita vtriusque magistratus
potestatem constitutione D. Ioh. Georgii Electoris XIII. Iul.
an. CICICCLXXII. auditori exercitus missa stabilitam dica-

B 3

mus,

m) H U B E R. Prael. ad ff. Lib. II. Tit. II. §. 13.



mus, quae cum ea rescripti pars, qua fori electio penes actorem collocata estⁿ⁾), nulla, quam sciam, noua lege sublata sit, hodieque citra iniuriam retineri possit. Sed quia vel iudiciorum militarium recentior usus maluit fori ius, e maioris dignitatis excellentia aestimare, superiorum temporum legibus, quarum ipsa forte antiquitas excipiendi materiam praebat, non vtemur. Quod si igitur proposita controversia ad regulas supra traditas expenditur, milites, qui in sanctiori bellicae rei consilio vel comites primi ordinis in sacro vniuersae rei publicae gubernandae consistorio locum tenent, qui ve officiis S. palatii ut clauigerorum et comitum S. cubiculi funguntur, caeteros que aulicis ciuilibus que dignitatibus auctos vtriusque militiae sive officii causa proprium forum; caeterarum rerum ergo, nisi vel ciuilis vel militaris dignitas praecellat, eius quidem modi temperamento, ut praeuentioni locus detur, vtrumque; sin alterutro munere magis honorati conspiciantur, id solum, quod inde sortiantur, iudicium secuturos esse constituemus. In que his iidem regulis tum usus supremarum curiarum ciuilium adhuc fere persistit, tum militarium magistratum obseruantia, de qua mihi non incertis argumentis constat, hucusque tantum non acquieuit. Nec dubium est, quin vtraque iurisdictio, dum nouos fines ordinet lex Serenissimi Principis, intra hos, qui nunc

n) Lubet ipsa verba adscribere, quae mentem legum generallium sic exprimunt: *Wenn aber in Personalibus jemand sich unter die Militz begeben, und gleichwohl in der Pflicht, damit er seiner vorigen Obrigkeit verwandt, stehen bleibt, und der selben Erlaßung nicht erlanget, soll dem klagenden Theile frey stehen, vor welchem Iudicio er den Beklagten belangen wolle, und also in diesem Falle die Electio fori, wie ohne dies Rechtens dem Auctori frey stehen. vid. HOFMANN. Cod. leg. mil. Sax. p. 924.*

nunc obtinent, quosque ad similitudinem aliorum iudiciorum concurrentium vslus aptauit, in posterum etiam duratura fit.

X.

Sed hanc iudiciorum ciuilium potestatem in milites ab aliquibus improbari iam diximus. Quorum cum potissimum rationes supra expositae sint, liceat, quaeso, per libertatem scholae de grauissimis etiam rebus in vtramque partem impune disputantis, an vis quarundam labefactari queat, paullisper animaduertere. Neque vero is ego sum, qui de omnibus sibi sumat iudicium, de que eius in primis argumenti validitate, quod a disciplinae militaris auctoritate dicitur, vana nec absimili eius furoris, quo ille apud Alexandrum de arte bellandi verba faciebat, vanissimaque arrogantia decernere velit. Romani quidem, quorum laudatur tantopere disciplinae severitas, imperium in exercitu, cum tali iuris dicundi facultate, qualem ducibus tribunisque nostris tributam videmus, non coniunxere. Neque enim eorum duces de priuatis militum cauissimam, sed vnicice de delictis militaribus cognoverunt. Praeter ea tota ista ratio non est iuris constituti, verum nouae legis ordinandae consilium. Taceo, quod amplius obici possit, si ciuilium magistratum potestate in milites, vis militaris imperii minuatur, non tam ista, quam ipsa toga a militibus sumta dicendum fore illam infringi: quo autem modo, ne hoc fiat, prospectum sit, eodem, ut ciuilis iudex, quanquam potestate iuris dicundi in hos ambidexteros milites ipsis non admenda, nihil in rei militaris detrimentum decernat, prouideri posse. Sed quod de priuilegiis rationibus afferunt, quo ob insignem virtutem non toga minus, quam saggo claram haud exui debeat miles, speciosum magis argumentum, quam firmum est. Etenim quae militum priuilegia appellantur, proprio artis vocabulo

iura

iura singulare sunt, non priuilegia. Deinde etiam, qui contra sentiunt, nolunt illi militem priuilegio fori militaris non frui, sed praeter hoc ex cauſa eius dignitatis, quam inter togatos adeptus est, et supremi ciuilis tribunalis tutela adeo que dupli beneficio eum ornare gestiunt. Quod si ducem tamen atque tribunos, quibus facultas iuris dicundi concessa sit, huius priuilegiū vſu sic partim priuari contendas, primum nec hoc verum omnino est, neque enim centurionem aut legatum, sed consiliarium et comitem S. Cubiculi incluta regiminis curia, quemadmodum quis que index inferior possessorem praedii sibi subiecti, in ius vocat; deinde, si ita eset, cur vnicē ciuilis magistratus conditio debet deterior fieri. Nam et hic, si secus fiat, de vſu sui iuris imminuto conqueri potest. Quis, quaeso, haec omnia in Principis manu esse non intelligat? Qui cum nec ciuibus, nec militaribus magistratibus, quos inter haec controuersia agitur, eam iuris dicundi potestate in partem veri patrimonii dedit, quem toga ſago que prouehit honoratum, in eo vtrius que iudicis auctoritatē hoc ipſo beneficiorum cumulandorum arbitrio stabiluit. Evidem noui rescriptum esse, vt milites ad aulica officia obeunda vocati eundi veniam peterent a tribuno, quam si hic ex decreto ducis non dederit, rem aulae tempestiue renunciarent, quo alii queant in ipsorum locum conſcribi; si annuerit, per tempus aulici ministerii aliis venia impetrata absentibus similes haberentur adeo que exigente rei militaris necessitate nunquam non reuocari possent. Sed de potestate iuris dicundi in eosdem milites ac ciuibus magistratibus non exēcenda nihil quidem,, quod videam, eo rescripto constitutum est. Vtique enim, dum hodiernis viuetur legibus, absentium quoque ministerii cauſa militum tribunus aut dux, non secus atque in exercitu militantium S. cubiculi comitum suprema regiminis curia, nunquam non ordinarius

dinarius iudex erit. Finiam hoc casum disputationis profiliato metu periculi, in quo in primis aiunt excludendae togatorum in milites potestatis necessitatem apparere. Quid enim? si civilis iudex in carcerem duci aut custodes debitori apponere iubeat, quem velit militaribus operis admouere, et ex necessaria causa praefecto esse exercitus imperator. Verum et haec ratio videtur esse ex genere abundantium. Nonne enim aequae persuadeat nouam legem, qua omnis propositis custodiae poenis munienda aeris alieni militibus plane obligatio interdicatur, atque ad eorum, de quibus diximus, a foro ciuili immunitatem afferendam idonea sit? Ex cambiali cautione, quam vocant, custodiendi debitoris facultatem nanciscitur creditor, cui nec ciuiles nec militares iudices opponunt salutem publicam, sed ex Optimi Principis voluntate accommodant. ^{o)} Quod si tamen extra ordinem opus sit homine liberando, quae species in pace erit rarissima, vnde adeo publicas et perpetuas leges sumere vix consultum videatur, poterit, qui omnibus imperat, supremus ciuitatis rector, adiri, aut, si per huius voluntatem liceat, inter utrumque magistratum de arcendis custodibus conuenire.

XI.

Sed de bellicae rei confiliariiis (*Kriegsraethen und geheimen Kriegsraethen*) noua dubitatio oritur, an ordo eorum in vniuersum togatis accenserit queat? Cum enim illustris huius collegii cura in conscribendis militibus et exercitu armis, equis, vestibus, frumentis, atque omnino omnibus vitae belli-

^{o)} Vid. quae rescriptis D. AVGVSTVS III. d. XXVII. Maii 1519 CCXXV. in HOFMANNI Cod. leg. mil. Sax. p. 942.

+ + +

belli que praesidiis instruendo versetur ^{p)} ; et cum eius rei salubrius ordinandae consilia communicare cum exercitus imperatore debeat eidemque de multis caussis referre, parum abest, quin totus ille Senatus cum omni scribarum familia et delegatis vel annonae vel vniuersi bellici apparatus curatoribus (*Kriegscommisariat und Prouiantant*) videatur ex Serenissimi Principis voluntate duci etiam in pace obsequi et tanquam pars exercitus atque accessio iudicariam eius potestatem vereri debere. Neque enim armati tantum et dimicantes, sed et caeteri, qui eos sequuntur et sine quibus exercitus tempore belli seruari non potest, vulgari militum nomine comprehendi solent. Quemadmodum igitur iudices, quos vulgo auditores vocant, fori, quod sub duce et tribunis regunt, priuilegio perfruuntur, sic, qui delectus habendi, militaris annonae aliarum que rerum causa non minus necessarii sunt, eiusdem iuris in patria quoque nostra tanto magis participes videantur, quanto constantior omnium est sententia, commissarios, ut verbis Adriani Beieri vtar, iudicium militare pro iudice ordinario agnosce-re ^{q)}. Sed vereor, ne in Electorali Saxonia haec opinio pacis tempore fallat ^{r)}. Nam sanctius rei bellicae consilium sacro

Prin-

p) Vid. III. Collegii descriptionem in Cl. s C H R E B E R i Collect. var. ad cur. fisci et ciuitat. discipl. vniuersitatis pertinentium P. III.

q) Vid. A D R. B E Y E R Iurisprudent. milit. Lib. IV.

r) Idem professus esse videtur Illust. s C H M I E D E R. Iuris mil. Saxon. El. Lib. I. Sect. I. §. 10. his verbis: *was nun die Personen anlangt, welche unter der Kriegsgerichtsbarkeit überhaupt, und in allen und jeden Personalansprüchen stehen: so sind diese - - - e) General Kriegscommisariat nebst dem Proviantante im Felde, ob es wohl sonst der Verfassung nach seine Dependenz von dem hochlöblichen geheimden Kriegsrathscollegio bebält, und demselben subordiniret bleibt.*

Principis consistorio subest, non imperatori exercitus. Nec illius origines, ad ultimam patriae rei antiquitatem possunt referri, cum olim, quicquid eius prouidentiae iam commissum cernimus, ad curam illustris collegii rerum dominicarum administrandarum haud obscuris de causis pertinuerit.^{s)} Neque militaris imperii partem exerceat, in primis ex quo legem **xxviii.** Dec. an. **circa 1000** **xxxvii.** promulgatam noua ordinatio **xv.** Sept. biennio post publicata iterum sustulit^{t).} Sed solis paganis imperat, non militibus; nam, quae his praecipienda sunt, communicatis consiliis curat, ut imprecentur a duce. Cuius si ex edicto agere deberet et praestare fidem militaris obsequii, sane euenturum esset, ut is aequi priuatis ac militibus imperaret, neque tantum exercitus, sed et omnes caussae, quae exercitum quoquo modo respiciant, contra rationem publicam a sacri Consistorii potestate eximerentur. Quam ob rem curatissime hoc collegium a sagatorum ordinibus discernendum est.

XII.

Qui autem illius mandata exequuntur commissarii atque his subditi administrari, quin his, a quibus constituantur, officii sui rationes reddere debeant, dubio caret. Itaque pacis tempore (nam in bello aliter fieri supra obseruimus) eosdem in civili, non militari foro, si qua in personas ipsorum actio intendatur, conueniendos, deque eorum delectis quaerendum esse absque haesitatione decerneremus,
nisi

^{s)} Vid. Cel. SCHREBERI Collect. supra laudata, quae sunt vtilium rerum plenissimae P. III.

^{t)} Vid. LAVRENTIVM de Iudiciis militaribus hodiernis P. II. Sect. III. §. 54. sq. et nec non HOFMAN Cod. leg. mil. p. 831.



nisi forte ipsae ciuilium magistratum controttersiae, de quibus in praesenti dicere non est animus, et sanctioris militarium rerum consilii mos, reos, in quos iuris dicundi potestatem assereret, ad iudicem exercitus remittendi dubitationi locum fecissent. Nam quae sic delegata videatur aut mandata ab illustri collegio iurisdic^tio, cum et curiae regiminis delegationem ex const. D. Ioh. Georgii Ele^t. XIII. Jul. an. C^o 1510 CC LXII data idem iudex exequi reuerenter debuerit, dux eam per auditores tanquam militiae sagatae propriam exercuit, sane ipsis harum delegationum exemplis in medium alatiss contra alios magistratus pro militari tuitus est. Cuius rei argumenta habeo tum priuatorum quorundam libellos, qui in vtramque partem de ea re disputant, tum epistolam Serenissimi Principis Leucoprenensis Ioh. Adolphi anno C^o 1510 CC XXXXIII, quo adhuc militibus Saxonis imperabat, ad ducem Bosium. Quae cum regii in rem eam rescripti, nescio ad belli tantum, an etiam ad pacis tempora pertinentis meminerit, illius vero videndi nulla mili fuerit copia, equidem eo magis timeo de tam illustri caussa pronunciare.

XIII.

De vxoribus et familia horum omnium, quorum de foro et iudice disputauⁱ, supersedeo dicere. Nam et vxores et liberos maritorum patrum que forum sequi, idque dum non secundas nuptias ineant etiam viduas, liberos autem, donec conditionem mutauerint, retinere, tralatitium est. Facile etiam, quae de his disposita ordinatio rei militaris nouissima, infimae fortis hominibus, qui commissariis aut annonae curatoribus ministrant, ut famulis praefectorum legem IX laudatae conuentionis an. C^o 1510 CC XVIII a D. Augusto II. confirmatae aptare possis. Neque animus est de veteranorum foro verba facere, cum nouis legibus praeclare sit constitutum,

tum, ut dimissi gregarii milites, qui que digniori, quam optionum, loco non meruerunt, ordinarium posthac iudicem ex causa domicili nanciscantur; at quos praefectos vident militia, sive honestam, sive caussariam missionem impetraverint, exceptis tantum his, qui ad tempus dimissi sunt et forum militare omnino retinent, supremarum in provincia curiarum iudicio subsint, harum tamen potestatem iuridici (*Beamten*) et magistratus urbium, vbi lares posuerunt, ex delegatione perpetua administrent. Verum de libello contra hos reos oblato priusquam eos in ius vocent, ad curiam regiminis referre debent: deinde ab omni iniuriarum grauiorum que criminum, nempe vel capitalium, vel hodiernis etiam moribus famosorum, quorum accusati forte vel suspecti sint, cognitionibus, vrpote extra ordinem soli exercitus duci seruatis, abstinere^u). E quibus etiam legibus mihi intelligere videor, qui codicillarem tantum, non veram sive militarem sive ciuilem dignitatem haud expressa fori mentione adipiscatur, quem sit ordinarium iudicem pro diuersis caussarum generibus habiturus. Singulare quid vestigium caussa, quae de venalibus rebus accisa vocantur, si quis forte miles ea non soluerit, constitutum est, quod optime ex ipsa formula per noscetur, proposita ab Hofinano^x). Eius autem consistorii, quod per tempus nuperi belli ius sacrum in exercitu Saxonico dixit, regiam ordinationem in utilissimo libro Ill. Schmideri reperies^y). In pace quidem de sacris deque ma-

C 3

trimo-

u) vid. edictum ducis, quod regiae legi respondet, ap. HOFMAN. Cod. Leg. Mil. Sax. p. 819.

x) Sancitam iudiciei formam excibet HOFMANVS Cod. laud. p. 833.

y) libro Germanice scripto titulum fecit: *Chursaechsisches Kriegs-Recht.*

+ + +

trimoniis et sponsalibus militum ecclesiasticus magistratus cognoscit, nec de his tamen alias nisi Dresdensis. Quod cum praefectorum gratia rarior olim privilegiis ordinaretur, ad gregariorum quoque militum repudia atque diuertia generali lege iudiciis ecclesiasticis data producere, quo facilius cum Duce exercitus communicari consilia queant, nuper utile visum.

XIV.

Haec vero extra dubitationem posita. Superat de iis causis dicere, quae militaris sint fori, an tantum ciuilis, subinde quasitum est. Scilicet in illo constat non posse in rem agi. Quod tum priscis legibus, tum conuentione nouissima, quam anno seculi huius XVIII. initam atque a Potentissimo Rege confirmatam saepe laudauimus, expresse cauerur. Itaque si in militis bonis sint etiam praedia, is que vel moriatur, vel bonis cedat, vtrum eius bona inter plures creditores secare, aut hereditatis petitionem admirteret familiae herciscundae iudicium exercere possit iudex militaris, haud leuis nascitur dubitatio. Sane ea verba, quibus sensum legis in rem actiones a militari iudicio eximentis interpretatus est ipse Elector D. Ioh. Georgius²⁾, hanc de vniuersitate bonorum res soli non minus complexa, quam mobiles, de que creditorum partim hypothecariis actionibus cognitionem foro militari non concedere videantur. Sed alterius sententiae defensores id vnum, quod in quoque iudicio principale sit, respici iubent: virgent etiam, caeteros iudices atque ipsa iuris communi

z) Verba rescripti ad exercitus Auditorem directi d. 13. Jul. an. 1672. sunt haec: *Ingleichen wird er zum 4ten, wenn in Realibus auf gewissen Hypotheken und Unterpfanden, so auf Haeusern und Gütern haften, und was dergleichen mehr, Klagen entstehen, welche Soldaten oder die Ihrigen angehen, sich aller Cognition zu enthalten wissen, und bierinnen denen andern Gerichten, darunter die Güter liegen, keinen Eingriff thun. vid. HOFMANNI Cod. leg. mil. Sax. p. 924.*

munis praecepta vniuersitatis vel petendae vel distribuendae forum e defuncti vel debitoris persona existimare. Nec defunt, aiunt, talium iudiciorum in foro militari habitorum exempla, etiam si interdum exercitus imperatores maluissent rei sitae iudici conniuere, si quis eorum actum, milite bonorum cessionem apud se profitente, sibi sumisset. Quae vtrinque allatae rationes quo grauiores validiores que sunt, eo magis, vt Serenissimo Principi placeat decisionem controuerfiae promulgare, optabile est.

XV.

Atque ipsis quidem militibus utilior videatur earum de bonorum vniuersitatis litium a foro militari exemptio, quae et requirendis alterius iudicis, in cuius solo sita sint praedia, sumtuosam necessitatem et causae tempore belli magis, quam apud ciuiles magistratus opus sit, protrahendae periculum tollat. Quamobrem consultum memini, vt vel omnia vniuersitatis iudicia ad forum priuatorum ablegarentur, vel certe de militum toga fago que honoratorum omnibus bonis, posthabito dignitatum maiorum minorum, ve discrimine, in ciuilibus tantum iudiciis actio peritio que daretur, neque viidue liberi que ipsorum post maritorum et parentum fata in militum foro se sistere cogentur, nisi etiam liberi militarent. Simili consultissimae rationis exemplo vt militari atque ciuili iudici in personas eorum omnium, qui in ambobus ordinibus mereant, aequa concedatur iurisdictionis potestas, nec vtra dignitas melior atque potior sit, vtpote quo consilio frequentissimae fori mutationes eueniant, consideretur. Verum cum ista omnia, quantumvis partim iuri communi consentanea, nec vsu praesentis temporis retenta, nec nouis usque legibus constituta intelligam, malui equidem dubitationum hodierni que moris commemoratione defungi, quam de prudentium virorum consiliis deque futuris legibus disputare.




00 A 6448

ULB Halle
002 928 140

3





DUBIAE QUAESTIONES
DE FORO MILITARI
IN SAXONIA

ILL. ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

JOH. THEOPHILO SEGERO

IURIS SCIENTIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE TIT. DE V. S. ET R. I
ANTECESSORE ORDINARIO COLLEGII I. CTORVM SODALI

A. D. XII. OCT. AN. CICCIOLI

H. L. Q. C

D I S P V T A B I T

A V C T O R

IOHANNES GODOFREDVS MVLLERVS
RADMERICENSIS E LVSATIA

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA